

remarques, qu'une preuve de l'attention et du grand intérêt avec lesquels j'ai étudié leur œuvre, à la fois si nécessaire et si méritoire.

Dederunt in celebratione operis sancti decus. Ideo memoria eorum in benedictione est in saeculum saeculi (antienne des évangélistes dans la liturgie canoniale).

Pl. LEFÈVRE

Franciscus (Hieronymus) Bernaldo de Quiros

Inter episcopos ordinis Praemonstratensis annumeratur Franciscus Bernaldo de Quiros, praemonstratensis Hispanus. Scribit de ipso A. ZAK, *Episcopatus Ordinis Praemonstratensis*, 1928, t. IV, p. 297 : « Franciscus Bernaldo, Praem. Hispanus, rector collegii Salmanticensis 1588 et Theol. lector, mox Romam uti procurator Ordinis missus, nominatus est a Summo Pontifice episcopus in Castellamare (in Regno Neopolitano). In nota addit Zak, bibliographiae gratia : C. L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. II, Nanceii, 1736, col. 76 ; G. LIENHARDT, *Spiritus litterarius Nobertinus*, Augusti Vindeliciorum, 1771, p. 76 ; L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. I, Bruxellis, 1899, p. 53. Additque praeterea A. ZAK, l.c., : *Alias minime notum*.

Relate ad hoc incisum ultimum nonnulla addere nobis liceat, quae Fr. Bernaldo magis notificant.

1. Apud P. GAMS, *Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae*, Graz, 1957, sermo fit de Bernaldo. Et quidem, p. 872, ubi indicantur episcopi oppidi Castellamare (Castrum maris, prope civitatem Neopolitanam) designatus est Bernaldo uti episcopus dictae civitatis, die 15 ianuarii 1601. -- Iterum, l.c., p. 915, ubi habetur series episcoporum Puteoli (Pozzuoli), similiter prope civitatem Neapolitanam, indicatur uti episcopus illius civitatis, inde ab anno 1604 : Hieronymus Bernardus de Quiros. -- Addi tamen debet Bernaldo, in utroque hoc loco, dici : Cist. (= monachum proinde ordinis Cisterciensis !). Ulterius additur Bernaldo obiisse die 31. mensis Augusti anni 1615.

2. In ms. 1766 (993) Nancy, in quo continentur notae perplures missae a St. de Noriega ad C. L. Hugo, ab isto rogato ut sibi mitterentur notitiae necessariae et utiles pro conscriptione librorum quos conficere intendebat Hugo relate ad historiam Ordinis Praemonstratensis.

Immoratur potissimum de Noriega in referendis iis quae egit Bernaldo in urbe Roma quando ipsi commissum erat officium procuratoris in illa Urbe. Quamvis designatus ad hoc munus a Congregatione Praemonstratensium Hispanorum, curam insuper egit de negotiis ad abbatias aliarum regionum pertinentibus.

In specie sermo fit de eius interventu ad hoc ut abbatia Tongerloensis libere eligere possit abbates suos. Cum enim, saeculo decimo sexto in Neerlandia plures novae dioeceses erigerentur, diu sermo factus est de dotatione illarum dioecesium. Sub hoc respectu abbatia Tongerloensis submitteretur episcopo Buscoducensi. Post diutinas disceptationes, abbatiae Tongerloensi concessum est ut libera electio abbatis canonicae retineri posset. A. ERENS olim historiam harum disceptationum scite exposuit in libro : *Tongerloo en 's Hertogenbosch. De dotatie der nieuwe Bisdommen in Brabant, 1559-1596*. Tongerlo, 1925. Disceptationes istae durarunt per plura decennia. Tongerloenses ex sua parte non tantum apud gubernium civile iura sua traditionalia strenue defenderunt. Idem fecerunt Romae; quisnam discussiones illas Romae sustinuerit, teste Erens, l.c., pp. 197 ss., non clare constat. Tandem aliquando negotium istud ab ipso Summo Pontifice ordinatum est hac ratione ut libera electio abbatis deinceps retineri possit. Clemens VIII die 12 aprilis bullam huc spectantem *Sollicite considerantes*, evulgavit. Bulla ista proinde obtenta et publicata fuit a Summo Pontifice, quando Bernaldo de Quiros, procurator erat Romae. Et, teste de Noriega, l.c., ipso Bernaldo strenue ad hoc insistente.

Audiamus quidnam dicatur apud de Noriega, l.c., de Bernaldo de Quiros, eiusque conatibus adhibitis ad hoc ut libertas electionis canonicae abbatis de gremio retineri possit. Legimus l.c., fol. 189a ss. :

« Hieronymus (alias dicitur Franciscus) de Quiros, piis honestisque parentibus in Villa de Riaza, dioec. Segoviensis, ortus, Praemonstratense institutum in monasterio Vitensi suscepit, et solemnem professionem 17. novembris ... emisit. Salmanticae in Ordinis Collegio Philosophiae ac Theologiae operam datus, hisque haud aliter, hisque haud eleganter instructus, primus ex munere pro Congregatione Philosophiae in Monasterio S. Pelagii deputatus est ... Rector etiam institutus est nostri Collegii ...

Anno 1597, in provinciali Capitulo, cum iam esset in Theologia Magister laureatus, Romam Procurator generalis institutus, missus est. Ubi plurimum vigilantissime laboravit pro expediendis, non solum suae Congregationis, sed et universi Ordinis negotiis, ut constat

ex epistolis in communi Archivo asservatis. Inter quae imminentem celeberrimo monasterio Tongerloensi ruinam ex commendatariis Abbatiam impetrantibus reparare studuit. Confirmationem Rmi D. Praemonstratensis Francisci de Longo-Prato (qui in munere abbatis generalis successerat Despruets), et annexionem quarumdam Abbatiarum Praemonstratensi Ecclesiae expediri curavit.... Litteras Tongerloensis Abbatiae quas inter praefatas Epistolas in Archivo reperimus, si forte pro dilucidando statu illius Monasterii sub illa tempestate servire possint, iam subijcimus.

Narratio susceptae incommoditatis per Episcopos, qui loco veri Abbatis Abbatiam obtinuerant.

In Ducatu Brabantiae Monasterium Tongerloense 500 annis continuis Abbate ex fratribus electo, et per Sedem Apostolicam confirmato, pie et sancte, necnon ad aedificationem et totius populi circumhabitantis gubernatum fuit. Sed tempore hoc nostro infoelici non defuerunt homines qui Episcopatum desiderantes, simul et divitias Abbatiarum appeterent. Et quoniam ita appeterent, ut noctu dieque sollicitantes apud Summum Pontificem quasdam Abbantias suis Episcopatibus incorporarent. Illo autem tempore Abbatia Tongerloensis suo Abbate legitime a Conventu electo, et a Philippo Rege Hispaniarum consensum habente, gaudebat. Attamen non obstante Conventus electione, nec Regis Philippi consensu, quidam istorum Episcoporum ostentans Pii 5. Summi Pontificis consensum, et ab eodem Bullam impetratam hoc Monasterium sibi vendicavit, sese solum dicti Monasterii Abbatem asserens. Praedictus hic Episcopus ipso die cum Abbatiam ingrederetur (agitur de episcopo Sonnio, qui die 30 augusti 1569 qua abbas «commendatarius» Tongerloensis introductus est in abbatiam), possessionis causa, omnes divitias a duobus vel tribus Abbatibus in usum et conservationem Abbatiae relictas sibi accepit, necnon post eandem diem omnes proventus monasterii. Idem fecit secundus Episcopus (Laurentius Mets, episcopus Silvaeducensis inde ab anno 1579) huius successor, cum hic primus ad alium Episcopatum transiret (episcopus Sonnius die 29 Iunii 1569 translatus est ad episcopatum Antverpiensem). Ita quod ruinam ipsius Abbatiae summo animi dolore, et moerore religiosi fratres inspiciant. Nam hi Episcopi quidquid a Monasterio accipere poterant sibi proprium, tamquam si ex paterna haereditate habuissent, existimabant. Ex bonis spiritualibus consanguineos et cognatos saepissime ditantes. Deinde quidquid bonorum ex proventibus Abbatiae colligere poterant, per mortem

amicis naturalibus relinquebant, non obstante quod iisdem bonis hoc tempore Monasterium summopere indigeret. Utut est, de diuturna duratione Abbatiae, nisi huic incommodo per Sedem Apostolicam caveatur ...

Qua de causa haec cum ita sint, quibuscumque haec audire vel intelligere contingat, quaeso, considerare necnon et cognoscere, quonam animo viri isti patres, et religiosi fratres esse possunt, qui viam, animamque Deo in eodem loco consecrarunt, cum iam ejusdem loci futurum interitum prae oculis viderent? Credite mihi, qui saepius gemitum et planctum eorum hac de re viderim, quod in dolore et tristitia ducant dies suos? Quapropter cum semper summa cum laude in Officio perstiterint, et quam devotissime et honorificentissime Officium divinum in eodem loco celebratum, et peractum fuerit : ita quod, nec in tota Roma nec in tota Francia, ullum sit Monasterium, in quo majori cum decentia et devotione Officium perageretur, et fiat-ut testes sunt omnes qui dicta loca frequentarunt-praedictus Abbas electus (die 2 Augusti 1590, Nicolaus Mutsaerts canonice electus erat abbas Tongerloensis a conventu) cum fratribus et religiosis quam humillime Summum Pontificem rogatum vellet, ut idem Monasterium de hoc inconvenienti et incommodo liberaretur. Si non in toto, saltem ex parte. Ut scilicet Episcopus tempore pacis ex dicto Monasterio aliquam alimentationem habeat, sed, ut consuevit, idem Monasterium ad sui conservationem a suo Abbate proprio gubernetur. Quod, ut haec fiant, faxit Deus. Amen.

Laus praedicti Abbatis electi (Mutsaerts).

Venerabilis pius, mortuo iam secundo Episcopo (Mets), curam totius Monasterii cogeatur suscipere, usque dum per Sedem Apostolicam in locum huius alius succedat. Cum nihil omnino auri vel argenti relictum ab his Episcopis esset quo hoc posset conservari. Proventus autem Monasterii iam magna ex parte ab haereticis detinebantur. Et multis in locis bona Ecclesiastica sine mora haeretici confiscaverant. Attamen non obstantibus his incommoditatibus, praedictus Abbas (Mutsaerts) mutuo ab amicis quidquam accepto-qui ne tale Monasterium ruinam pateretur, ipsum Abbatem tam re quam consilio iuvabant-praedictum Monasterium in suam tutelam recepit, receptum vero ita sua providentia et ingenii dexteritate a studiis et conatibus haereticorum tuetur : ut cum cuncta fere Abbatiae, et Monasteria in istis regionibus sint diruta, et quaedam solo adaequata, hoc dictum

Monasterium solum integrum, et quasi inviolatum diligentia et labore continuo huius Abbatiae ex Dei beneficio remanserit. Quantum vero ad Religiosos, praeter pericula minus evidentia, quae ipsis imminebant, quosdam eorum ad studia quam studiosissime hortabatur. Quid amplius dicetur maior laus huius boni viri, quam his verbis exprimi possit? Testes sunt omnes catholici omnium Civitatum circumiacentium. Quamobrem finem his impono. Et oro denuo, ut facta pace illarum Regionum, et pacatis omnibus, haec dicta Abbatia ab incorporatione Episcopatus liberetur ».

Uti supra iam indicavimus, S. P. Clemens die 12 Aprilis 1597 abbatiam Tongerloensem liberam declaravit ab incorporatione sedi episcopali Buscoducensi.

3. Procuratori Bernaldo de Quiros ulterius tribuitur a de Noriega ut, non obstantibus conatibus contrariis ex parte Domini Praemonstratensis, Praemonstratenses Hispani deinceps tuto retinere possent institutum Abbatum triennalium (cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. III, Straubing, 1956, pp. 216-218).

Scribit de Noriega, l.c. : « Praeterea idem R. P. Procurator plurimum laboravit pro obtinenda facultate a Sede Apostolica, ut nostri Abbates triennales iisdem privilegiis et praerogativis gauderent, quibus antea perpetui, quod et obtinuit ».

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

750 Jahre Imbramovice (1226-1976). Sensationelle Entdeckung eines Gemäldes im Jubiläumsjahr.

Das 1226 gegründete Prämonstratenserinnenkloster Imbramovice begeht heuer das Jubiläum seines 750 jährigen Bestandes. Gerade in diesem Jubiläumsjahr ist von einer sensationellen Entdeckung zu berichten. Es handelt sich um ein bisher unbekanntes Gemälde von Jan Breughel d. Ä., die Madonna mit Kind in Girlanden. Der Entdecker ist ein junger Konsultant der Restaurierwerkstätten des Denkmalamtes in Krakau, Magister Boguslaw Krasnowolski.

Wie ist es zur Entdeckung dieses bisher unbekannten Werkes von Jan Breughel d. Ä., dem « Blumen-Breughel », gekommen? Krasnowolski berichtet, er habe gemeinsam mit Dr. Hanna Pienkowska, Chefin des Landesdenkmalamtes in Krakau, die Gemälde des Prämonstratenserinnenklosters Imbramovice besichtigt wegen deren